



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ivlii Fatii S. J. Liber De Mortificatione Nostrarvm
Passionvm, Prauorumque affectuum**

Fazio, Giulio

Köln, 1604

De quodam insigni Mortificationis effectu, vitæ scilicet, actionumque
nostrarum exemplo. XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60991)

DE MORTIFICAT. 167

desia, quæ ut vult S. Paulus, *fructus est spiritus*, deuotionem & spiritum serui Dei, facile colligere licet. Huc etiam spectat, quod ait Sapiens: *Ex visu cognoscitur vir & ex occursum faciei cognoscitur sensatus, amicus corporis, & risus dentium, & ingressus hominum annunciant de illo.*

Gal. 5.

Eccle. 19.

Quare quemadmodum in horologio rotas & alia instrumenta, tunc bene moueri iudicamus, cum exterius eiusdem index ac sonus certa via & ratione procedat, ita quoque probabiliter iudicare possumus, statum interni hominis, quoad Mortificationem & compressionem, passionum, bene se habere, si externam eiusdem compositio atque habitudo talis sit, qualem esse decet. *De exterioris hominis matu,* inquit Cassianus, *interioris status cognoscitur.* Atque ita finem huic capiti impono, sanctam hanc exterioris hominis compositionem omnibus Religiosis etiam atque etiam commendans,

Cass. lib. 12. Instit. cap. 29.

CAPVT XXI.

De quodam alio insigni Mortificationis effectu, vite scilicet, actionumque nostrarum exemplo.

Quæ admodum in fonte, qui casu quodam turbatus est, si subsidentibus deinde sordibus ad pristinam redeat puritatem, omnia

omnis etiam aqua inde profluens clara
ac limpida apparet; sic animus nolet
mortificatione passionū ac potentiarū so-
datus; facit, ut omnes actiones ex eo pro-
cedentes, claræ atque illustres videantur.
Cum enim potentia animæ nostræ à na-
tura ad actionem destinatur, oportet, ut
his pacatis, & in ordinem redactis, non
in operibus nostris nescio quis splendor
& decor virtute plenus eluceat.

Hoc Christus Dominus significasse
videtur, cum in persona suorum disci-
pulorum verum seruum & imitorem sui
describere vellet: *Sint lūbi vestri praece-*
ditur, & lucernæ ardentes in manibus ve-
stris: Per restrictionem potentiarum len-
ficiuarum, quæ in carne sedem & nutrimē-
tum habent. Declarans deinde quomodo
ex hac mortificatione, gratiæ auxilio,
boni exempli splendor in operibus e-
luceat subiungit: *Et lucernæ ardentes in*
manibus vestris. Quæ verba S. Gregorius
explicans ait: *lucernas quippe ardentes in*
manibus tenemus, cum per bona opera proxi-
mis lucis exempla monstramus.

S. Greg.
Hom. 13.

Judic.
Cap. 7.

Hoc etiā in insigni illo militum Gedeo-
nis facta sacrae literæ significare videntur,
quando in Madianitarum obsidione,
confraactis magno fragore lagenis fictili-
bus,

DE MORTIFICAT. 169

bus; derepente lampades accensas manibus
ferentes prodire victores. Sic quoque ex
contractione vasorum fictilium, nempè
corporum nostrorum per Mortificationē
passionum ac potentiaram sensitiuarum,
splendor quidam vitæ, actionumque ad
virtutem prælucentium resultat; gloriosa
victoria à capitali nostro hoste repor-
tatur, qui nos nullis sæpius, quàm his ipsis
armis, oppugnare atque offendere solet.

Porro quantum hoc vitæ actionumque
nostrarum exemplum ad Dei gloriam, &
proximorum salutem cōferat; verbis pro-
fectò explicari nequit. Nam vt B. Bernar-
dus ait: *Sermo viuus & efficax exemplum o-*
peris est, plurimum faciens suafibile quod au-
ditur, dum monstrat factibile, quod suadetur.
Nam scientia Deo seruiendi, practica est,
non speculatiua. Quemadmodum enim
præstantem pictorem euadere volenti,
non satis est memoria tenere proportio-
nes, mensuras, & colorum qualitates; sed
necesse est, vt manum etiam operi, modò
hanc, modò illam figuram adumbrando
admoueat, sibi que multerum pingendi
præstantium ideas & exempla ad imi-
tationē proponat: Sic ei qui in sancta hac
arte Deo seruiendi, excellens fieri deside-
rat, nequaquam sufficit, si omnia documē-
ta ad hanc artem spectantia accuratè me-

S. Bern.
serm. de
S. Bene-
dicto.

H mori-

moriter calleat, sed requiritur, ut ea opere
& usu quotidiano exercent, potissimum
autem conducent ad hoc, sanctorum alle-
rumque in hac arte exercitatorum exem-
pla, ut in ea oculos assidue defigens vitam
quoque & actiones suas ad eorum similitu-
dinem instituere & informare possit. Ne-
circo cum præpotens Deus sciret, negotium
hoc ad obsequium suum, hominumque
emolumentum quam maximè valere, ma-
ta ac varia varij status & conditionis ho-
minum, in omni virtutum genere præ-
stantium, exempla in Ecclesia sua
quam deesse voluit, quamvis non
magno eorum labore ac sudore.

Diuersis quoque sacrarum literarum
figuris adumbravit, quanta exemplorum
ad virtutem prælucentium sit utilitas
vtrinque, exemplis scilicet ac figuris
matu, feruentius & alacrius in Dei serui-
progrederemur. Et ut alias figuras omi-
mus, quæ in sacra Scriptura passim con-
runt, quid sibi quæro, specula illa de-
luerunt, quæ labro zinci, quod erant
atrio, circumcirca erant annexa, in
rum isto sacerdotes abluere in illis auribus
vultus suos contemplari debebant, ut
puriores magisque compositi ante conspe-
ctum Dei apparerent? Ecclesia scilicet
religiosa in ista atrij se habet, quæ
cunctis

¶ d. 38.

DE MORTIFICAT. 171

undum est cuicumq; ad triumphantē per-
ueniri volenti: In hac diuina sapientia sa-
pientissimè disposuit, vt præter lauacrum
Sacramentorū, magnus quoq; speculorū
esset numerus, hominum videlicet vita &
morum exemplis illustrium, vt dum eorū
puritatem ac perfectionem inspicimus,
impuritatem imperfectionemque nostrā
& inspiciamus & emendemus, digneque
tandem inter beatos triumphantis illius
Ecclesiæ ciues comparere ante conspectū
Dei possimus, quò, vt scriptum est, *nihil*
immundum aut coquinatum intrabit.

Idem præfiguratum est in virgis illis di-
uersicoloribus, quas Patriarcha Iacob in *Gen. 30.*
canalibus posuit, vt venientes ad potum
greges, ante oculos haberent virgas, &
in earum aspectu conciperent, eiusdem-
que deinde coloris fœtus producerent:
Sic Deus perpetuò in Ecclesia sua varia-
rum virtutum exempla tanquam virgas
versicolores proponit: Et hæc est illa va-
rietas, qua circumdata Ecclesia *assistit a*
dextris sponsi sui caelestis, vt dum nos mentis
nostræ oculos in eorum virtutes factaque
illustria desigimus, & concipiamus desi-
deria, & opera etiam similia felicissimè
producamus.

Et hoc est quod Salomon in persona
sponsi dicit: *quā pulchri sunt gressus tui in cal.* *Cant. 7.*

H 2

seamen

Bern. ser.
16. ad so-
rorem de
exemplis
sanct.
S. Greg.
in pasto-
rali p. 2.
cap. 2.

ceamentis filia Principis. Quae sunt calceamenta Ecclesiae, inquit S. Bernardus, nisi exempla sanctorum Patrum, quibus in vita huius seculi imitatur. Denique hoc idem Deus in Aaron, Summo sacerdote, adhibuit, cui praecepit, ut duodecim Patriarcharum nomina semper in pectore sculpta gestaret, quod D. Gregorius explicans ait: *Ascriptos patres semper in pectore ferre est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla Patrum precedentium in se continenter intuetur: cum sanctorum vestigia sine cessatione considerat.*

S. August.
lib. de co-
fess. c. 2.

Huius finis causa S. Augustinus sanctorum exempla in memoria velut in libro suo circumferebat, ut ipse testatur: *Exempla, inquit, seruatorum tuorum, quos de nigro lucidos, & de mortuis viuos feceras, cogitationis nostrae vrebant & absquebant grauem torporem, ne in ima vergeremus & accendebant nos valde.*

Idem S. Dominicus, & post illum Angelicus Doctor Thomas faciebant, quibus moris fuit Acta SS. Patrum assidue in manibus & pectore ferre, ut ex eorum frequenti lectione & recordatione accenderentur, semperque ad gloriosam hanc militiam armati & prompti inuenirentur. Hanc denique eandem ob causam tot sanctorum festa quotidie propemodum ob
Eccle.

DE MORTIFICAT. 173

Ecclesia nobis proponuntur, *Ut imitari non
pigeat, quod celebrare delectat*, inquit D. Au *S. August.*
gustinus. *serm. 47.*
de sanctis.

Sed notandum hinc est id, quod pluri-
mum facit ad nostram consolationem,
Deū in prædictis figuris non fecisse, quod
Pictores optici seu perspectiui solent; Illi
enim in picturis, nihil aliud propositum
habent, quàm ut intuentium oculos pa-
lancant; sed potius Phrygionem aliquē imi-
tatus est, qui ut opus à se delineatum perfici-
at, pretiosissimam auri aut argenti, siue
alterius materiæ telam in minutissima fru-
stra concidit, atque inde pulcherrimum o-
pus texit: ita Deus ipse permisit ac voluit
tot sanctorum millia, vel ab ipso nascen-
tis orbis exordio capite plecti, secari ac in-
frusta disseccari quasi pretiosissimas auri &
argenti telas; ut hoc clarissimo laborum,
mutilationum & aliarum, quas passi sunt,
ærumnarum, ipsius denique eximiæ mor-
tis exemplo sanctam ornarent Ecclesiam.
Sic permisit iustum Abel impietate frater-
na necari: Abrahamum charissimi filij ho-
locausto tentari; Iosephū à fratribus im-
pudicè vendi: Moysen cū toto populo Israëli-
tico crudeli Pharaonis tyrannide oppri-
mi: Dauidem insolacabili Regis Saulis o-
dio subijci: Susannam impudicorum ca-
lumnijs exponi: Prophetam Isaiam mediū
H 3. secari.

secari. Daniele m obijci leonibus. Iob & Tobiam tam in corpore quàm in bonis externis gravissimè affligi, quorum afflictionis causam sacra Scriptura expressè posuit; cùm dicit: *Hanc tentationem* (loquitur autem de Tobia) *idea permisit DEVS evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientie eius, sicut & sancti Iob.*

Iob. 2.

Sed quid dico de servis, cùm nec filio suo proprio pepercerit, ut perfectius id quod sibi proposuerat, cõsequeretur: mittens enim eum in mundum ad redimendum genus humanum: *Posuit eum, inquit Hieremias, quasi signum ad sagittam*: permittens illum à Iudaica perfidia tormentisq; ut notum est, persecutionumque & iniuriarum Christo fuerunt irrogatæ, quanto plura in eum iacta conuitia, quanto acerbiore plagæ inflictæ, tanto clarior diuinarum virtutum lux ad exemplum beneficiumque mortalium coruscaret: Sicut quò maior noctis est obscuritas; eò clariore & splendidiore stellæ in caelo apparent.

Iohan. 13.

Iohan. 8.

Quare hæc tandem verba quasi protestando protulit: *Exemplum dedi vobis, quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Et alibi: *Ego sum lux mundi, qui sequitur*

DE MORTIFICAT. 175

ur me, non ambulat in tenebris : Ostendens
 se iuxta voluntatem æterni patris, radios
 lucis, hoc est, vitæ doctrinæque suæ
 sanctissimæ, in mundo sparsisse, quam
 homines imitarentur : cuius lucis sple-
 dore tot Martyres, quasi generosi papi-
 liones attracti, sese ingentibus animis
 ijs pœnarum ac suppliciorum flammis
 immiseruat, quas sanctus Paulus descri-
 bit, cuncta ait; *alij ludibria & verbera exper-* Heb. 11.
ti, insuper & vincula & carceres; lapidati
sunt, scissi sunt, tentati sunt, in occisione gla-
dij morsui sunt, circuierunt in melotia, in pel-
libus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, &c.
 Ac ne fortè putaremus illos tot tantaque
 tormenta ob culpam aliquam propriam,
 aut demeritum, & non potius ob glo-
 riam DEI; nostrumque exemplum per-
 pessos esse; adiungit sanctus Paulus: tantæ
 eos fuisse integritatis vitæ ac meritorum:
 ut merito ij confereretur, quibus dignus non e-
 rat mundus.

Hinc illa S. Ambrosij exclamatio, cum S. Ambr.
 videret, quanta sollicitudine Deus homi- serm. 14.
 num salutem procuraret, cum tanto ni- de S. Na-
 mirum dispendio temporalis vitæ seruo- zario &
 rum suorum: Ita enim exclamat. Quanta Celso.
 est circa nos Dei nostri sollicitudo? illos exami-
 nat, ut nos erudiat; illos cõterit, ut nos acqui-

rat; eorū cruciatus, nostros vult esse profectum.
 Item S. Bernardus, Propterea, inquit, posuit
 Bern. ser. 16. de ex-
 emp. sanct.
 Chrysof.
 ser. 11. su-
 per Gen.
 Deum virtutes sanctorum ad exemplum no-
 strum, ut per vestigia ipsorum peruenire possi-
 mus ad regna caelorum. Sanctus item Chry-
 sostomus. Propterea sanctorum omnium vi-
 tas, inquit, & conuersationem in diuina scri-
 pturis praescriptam Spiritus sancti gratia reli-
 quit, ut discentes, quod licet eiusdem fuerint
 naturae; virtutibus tamen studuerint, ne sum-
 mos ignaui & desides in iisdem exercenda. Hinc
 quoque tot Summi sanctique Pontifices
 ut Clemens, Damasus, & Fabianus sanxe-
 runt, ut septem perpetuo essent Notarij A-
 postolici in vrbe, quorum officium erat
 summa diligentia conquirere, summaque
 fide conscribere vitas & acta Sanctorum.
 Ipse quoque S. Gregorius fatetur in Dia-
 logis, se suos Dialogos ob hunc finem
 scripsisse.

Nec dubitandum est, quin id ipsum Deo
 singulari sua prouidentia disposuerit, qui
 do quidem experientia ipsa docemur, hoc
 exemplorum medium esse ex praestantissi-
 mis vnū, quo in humanis pectoribus duo
 summi momenti producuntur effectus:
 alter est, ut spiritualement nostram agnosca-
 mus inopiam; alter verò, ut indies magis
 incitemur ad virtutum progressum. Nam
 ut Aristoteles dicit; Magnum & paruum
 dicitur

DE MORTIFICATI 1777

dicuntur respectiue. Verbi gratia, columba inter obuias volucres, magnæ apparet esse molis, pernicisque volatus; comparata vero cum aquila, paruula est statura, & tarda volatu, *Equus idem*, vt ait Climachus, qui absolute consideratus videtur cursu velocissimus, respectu aliorum quorundam animalium piger iudicatur & iners. Ita & homo, qui sibi prius nescio quid non tribuebat, sibiq; in diuino obsequio instar generosi equi aut aquilæ præstantissimus esse videbatur; vbi oculos in meritorum magnitudinem ac velocitatis præstantiam multorum Sanctorum coniecerit; erubescit, seque segnem reputans & nihili facies humiliatur; & se ipsum ad eorum imitationem, passibus quam fieri potest incitatis excitat.

Et hoc est, quod B. Climachus pulcher-
 rima quadam similitudine ostendere vo-
 luit, quando dixit. *Sicut pauperes cum thesau-*
ros regios aspiciunt, suam paupertatem amplius
agnoscunt, ita etiam magnificas Patrum virtu-
tes vnusquisque relegens, mentem suam amplius
humiliat. & quia, vt ait B. Ambrosius: *Non*
difficile estimatur, quod iam factum aspiciamus,
persuadentes nobis id id ipsum nos, cum
diuina gratia, facere posse, quod ab alijs iam
factum videmus, qui nobis similes erant,
resumimus animum, & firmiter statimus,
 H s tande m

*Clima. in
 compend.
 recapitu.
 grad. 26.*

tandem aliquando ex hac animi nostri egestate emergere, atque ad altiorem virtutum ac meritum statum aspirare; ut B. Augustino contigisse legimus, cum ut ipse refert, duorum Aulicorum Imperatoris Theodosij, cōuersionem à Pontiano, suo gentili, sibi recenferi audiret, motus enim ubi se collegit: *Quanto, inquit, ardentius amabam illos, de quibus audiebam se lubricos effectus, tãto execrabilius me compertum ijs oderam. Eo usque autẽ hoc sui ipsius odium euasit, ut se amplius continere non potuerit, sed adito ex amicis intimo & delissimo Alipio, exclamauerit & dixerit: Quid patimur? Quid est hoc? Quid audisti? Surgunt indocti & celum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi voluntari in carne & sanguine. An quia processerunt prodessequi?*

Hac eadem ratione innumeri alij SS. Pauli, Antonij, Hilarionis, aliorumque primorũ Patrum Eremitarum, fama permoti, relinquentes mundam, vitam Monasticam in desertis Aegypti, Scithi, & Thebaidis complexi sunt: & tanto quidem numero, ut in vnico Cœnobio quinque millia Monachorum, sub vnus Abbatibus disciplina versarentur, eaque obedientiã & obseruantia, quam refert Cassianus cum ait: *Non potest apud nos, inquit, vnus*

Aug. li. 8.
Confess.
cap. 7.

cap. li. 4.
Inst. c. 1.

DE MORTIFICAT. 479

vni vel obedire, pro modico tempore, vel praesse. Hinc S. Gregorius, quantopere vni exemplorum ad agnoscendam propriam miseriam, meliorisque vitae statum amplectendum conferat; his verbis docet: Fit plerumque in audientis animo duplex adiutorium in exemplis Patrum; Quia amore venturae vitae ex precedentium comparatione accenditur, & se esse aliquid existimat, dum meliora de alijs cognoverit, humiliatur.

S. Greg.
Proem. 1.
1. Dialog.

Porro si hominum virtute meritisque clarorum exempla, lecta solū in antiquis illorum historijs, aut fama percepta, vel etiam nobis ab hominibus fide dignis narrata, tantam habent in animis nostris efficaciam, quantam experti sumus, & in singulas fermē horas experimur, quid homines viui facient, qui ante oculos nostros quotidie versantur? cum nullum sit dubium, obiectum praesens efficacius mouere, inque animis nostris validius imprimere illum effectum, quem producere aptum est. Quare quemadmodū equus, qui nec verberibus, nec calcariibus, nec vllis clamoribus adigi poterat, ut vel pedem loco moueret, vbi tamen alium videt equum praeeuntem mox eundem sequitur, nemine impellente; Sic possem non pauca eorum exempla adducere, qui suis quibusdā abusibus ad eō insue-

uerant, vt neque concionatorum clamoribus, neque calamitatum, aut morborum verberibus ab illis abduci potuerint, posteaquam tamen alios sibi similes, vel iidem, vel etiam maioribus trieis ac pedibus se expediuisse, atque in diuino obsequio maximum fecisse progressum viderunt, & ipsi sese suis extricarunt miserijs, atque corū vestigijs serio insistere decreuerunt.

Ita legimus fecisse Iustinum Martyrē, qui exemplo Sanctorum Martyrum, quā incredibilem constantia, omnia tormentorum genera sustinere videbat, permotus, ab isto infidelitatis errore, in quo longo tempore pertinaciter vixerat; tali animi seruire Christi fidem amplexus est, vt pro gloriose mortem oppetere non dubitauerit. Idem sibi contigisse D. Augustinus fer-

S. Aug. l. 3. confes. cap. 2.

tetur, quando sibi in errorum suorum tenebris adhuc immerso à Simpliciano notatum fuerat Victorinum celebrem Rhetoricæ facultatis Professore ad Christum esse conuersum. Sed vbi mihi, inquit ille, de Victorino Simpliciano ista narravit, exap-

Chrysof. Hom. 17. in cap. 13. Ioan. ad imit adū. Idē deniq; docet D. Chrysof. m^o: Et gētiles, inquit, nō ita signis adducuntur, vt vita, quā nihil aliud, vt dilectio commendat: qui enim miracula faciunt, non unquam deceptores ab illis appellantur; vitæ puritas non nisi bonum arguit. Deinde ita concludit: Nihil adē

T. DE MORTIFICAT. 180

adēō Gentiles arguit, ut virtutem, nihil adēō per-
 turbat, ut malitia Et hoc est, quod hodie
 quoq; in Indijs Dei bonitate fieri consue-
 uit; vbi nullis sepe miraculis, nullis Cōcio-
 natorū clamoribus, sed solū vitæ, morūq;
 exēplis Religiosorum inter ipsos versan-
 tium, multi ad iugum Christi perdūtur,
 ita ut multi eorum pro Christi fide glorio-
 se occubuerint. Quod si vitæ morumque
 exempla in omnis generis hominibus tā-
 tam habent vim, ut vidimus, quid de illis
 dicendum, qui in alicuius auctoritatis ac
 honoris gradu sunt constituti? Hi enim in
 Rebus publicis tam civilibus quàm Ecce-
 siasticis illos repræsentant remiges, à qui-
 bus, ut pote in puppi confidentibus, tota
 pendet remigandi ratio. Nam ut isti len-
 tius aut citius remigant, ita alij lentius aut
 velocius sequuntur: Sic & illi in prædictis
 Rebus publicis, proprio vitæ ac morū exē-
 plo, alijs normam præscribunt, ita ut iisdē
 quasi passibus sua vestigia sequantur.

Quocirca horum bona vel mala, quæ
 alijs præbent exempla, propriè nō possunt
 priuata aut particularia bona vel mala ap-
 pellari, sed potius vniuersalia ac commu-
 nia, & quod hinc est consequēs, tanti mo-
 menti, ut talia Exempla aliquando in Iudi-
 cijs & Rerum publicarum administratio-
 nibus habeant vim legis.

H 7

Quæ

181 DE MORTIFICAT.

2. Mach.
6.

Quæ causa fuit, ut venerãdus ille scilicet Eleazarus, nonnullis amicis suã rationem sibi suadentibus, ut imminente mortē euaderet, nullo modo acquiesceret, ne hoc suo exēplo iunioribus & infirmioribus dēmnū aliquod afferret: Sed gloriosissimã mortem magis, quã odibilem vitam amplectens, voluntariè præibat ad supplicium. Concludit deinde scriptura historiam his verbis: *Huius modo de vita discessit, non modò inueniunt, sed & vniuersæ genti memoriam mortis sue ad exemplum virtutis & fortitudinis delinquenti.*

Tit. 2.

Idē quoque D. Paulus cupiebat, cum ad Titum Cretæ Episcopū scriberet: *In omnibus, inquit, te ipsum præbe exemplū bonorum operū, in doctrina, in integritate, &c.* Hoc &

Basil. reg.
sus. dist.
cap. 44.

S. Basilius tractans de Religiosis, qui extra monasteria secularibus negotiis occupantur, docet, ob rationē suprà allatã, solò huiusmodi negotia assignanda esse, quia ne proprio animæ suę dispendio, proximorum autem ædificatione fructuque, in mōdo versari possunt: quod si tales fortassis non essent: *Præstabilius est, inquit, summam rerum omnium necessariarum penuriam perpeti atque egestatem, etiã si propterea subeunda mors sit quã subleuanda necessitas corporis causa perfricuum anime detrimentum negligere.*

Nec immeritò hanc rem ita S. Basilius exagge

exaggerat: nam vt affirmat B Laurent. *Lu. Sin. li. de conflic. interiori.*
 stinianus: *Nocet plurimum conuersatio incom-*
posita, deducta in publicum. Hoc denique *cap. 2.*
 S. Bonauentura monet, vbi de Religiosis, *S. Bona.*
 qui in Religione alicuius sunt auctorita- *inqq. cir-*
 tis, agens: dicit: tales quantumuis senes & *careg. ca.*
 benemeritos, à quibusdam tamen com- *19.*
 moditatibus & priuilegijs, ipsis alioqui ob-
 honestos respectus licitis ac permissis, ab-
 finere debere, ne ipsi iuuenes præterito-
 rum ipsorum laborum ignari, dum vi-
 dent eos his exemptionibus gaudere, in-
 cipiant easdem ambire: ex quo fit, vt in
 Monasterijs disciplinæ rigor paulatim re-
 laxetur. Et quamuis hæc iuuenū cupiditas,
 hoc casu indiscreta & sine ratione sit,
 rationi tamen consentaneum est, vt senio-
 res priuatis suis commodis bonum præfe-
 rant commune, illisque, quantum fieri po-
 test, nullam horum præbeant occasionem
 in has appetitiones incidendi: *Debemus e-*
nim nos firmiores, inquit Apostolus, imbe-
tilitates infirmiorum sustinere, & non nobis *Rom. 15.*
placere. Et sicut currètes equi, ait Climachus,
cursum inuicem certant, ita & optima societas se-
inuicem excitat.
 Quemadmodum autem tali homi-
 num exempla ex sese sunt efficacissima,
 sic ab eis exhibendis & dandis nemo ex-
 culandus est; nam infirmus æquè ac
 sanus,

T.
 ille senes
 z carnis
 morie-
 et, ne hoc
 orib' da-
 Simi mor-
 splectent,
 Concludit
 rbis: Hoc
 mibus, sed
 sue ad es-
 linquent,
 cum ad
 In omni
 bonorum
 Hoc &
 qui extra
 occupar-
 solū is
 le, qui li-
 roxime
 e, in mō-
 fortasse
 immo
 nam per-
 a subem-
 atis cor-
 inueniunt
 Basilus
 exaggo

fanus, indoctus æquè ac eruditus, inferior æquè atque superior ad viuendum secundum sui status conditionem & qualitatem obligatus est. Vt enim infirmus, durante infirmitate, à ieiunijs, vigilijs, alijsq; laboriosis operibus excusatus sit, à dandis tamen bonis exemplis nequiquam excusari potest aut debet: simplex item ac idiota, licet proximis suis in administratione Sacramentorum, aliorumque Ecclesiasticorum ministeriorum prodesse non possit, iuuare tamen illos bonæ suæ vitæ exemplo potest & debet. Et si fortè eruditus non valeat dicendi gratiâ, neque alijs concionando salutis viam monstrare possit, obligatur tamen ad ferendam illis operum bene agendo: lingua enim hæc bene operandi, ab omnibus nationibus quâcumque remotis & barbaris intelligi potest: neque solum bonis iucunda est, sed & malè vitibus non potest non esse grata.

Doctus verò & eloquens nouerit, si ad sonum verborum non adiungat etiam exemplum bonorum operum, vocem suam similem fore æri sonanti, aut cymbalo tintinanti, & quod hinc sequitur, vanam & inefficacem. Idcirco si verbis tuis persuadendi vim inesse desideras: *Uobis voci tuæ vocem*

Bern. ser.
59. si per
Cant.

virtutis, ait S. Bernardus, si quod suades, primo tibi illud cognoscaris persuasisse: validior operum quam

DE MORTIFICAT. 185

quàm oris vox est, fac, ut loqueris.

Sanctus item Gregorius: Illa vox, inquit, libentius auditorum corda penetrat, quàm dicentis vita commendat, quia quod loquendo imperat, ostendendo adiuuat, ut fiat. Vnde sicut horologium errare dicimus, cum multas frequenter insonat horas, paucas tamè indice demonstrat (necesse est enim ut inter utrumque, campanam scilicet ad sonum, & indicem ad ostensionem ea sit conuenientia, quæ cursui solis respondeat) Ita & Cōcionatorem dicemus non bene suo fungi officio, quando multum loquitur, & parum operatur: Sed tunc verus dicetur Cōcionator, si inter ipsius linguam in loquendo, & manus in operando ea sit conformitas, quam iuxta exemplum ac normam Christi, Solis iustitiæ, obseruare tenetur, de quo Lucas scribit: Cæpit facere & docere, & cum facit quod S. Gregorius affirmat: Tunc alij rectè prædicamus, si dicta rebus ostendimus.

S. Greg. in pastor. p. 2. ca. 3.

Act. 1. S. Greg. Hom. 17.

Urgitur huic capiti finem imponam, quanto possum maximo cordis affectu tum omnes, tum præcipuè Ecclesiasticos ac Religiosos rogo, ut in conspectu Dei ac Creatoris nostri maturè perpendant illa verba, quæ de ipsis Spiritus sanctus per Malachiam Prophetam protulit cum dixit: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem.

legem requirunt ex ore eius, Quia Angelus Domini exercituum est. Quæ verba nihil aliud significare videntur, quàm Ecclesiasticorum vitam, Angelorum vitæ similem esse debere: cum illis incumbat alios docere verbis id, quod ipsis iuxta legem Dei credendum, atque opere ipso exercendum est. Neque vlllo vnquam modo committant, vt sinistra aliqua intentione aut opere reſtitudo ac ſanctitas eius officij profanetur, quod ipsis à Domino Deo conſecratum eſt.

CPPVT XXII.

De tertio Mortificationis effectu. An, qui eſt voluntarius de ſpiritalibus & grauioribus rebus ſeruus.

Sophron.
in prælo
ſpiritali
cap. 143.

NARRAT B. Sophronius Hieroſolymitanus Episcopus de celebri quodam latronum duce David nomine, qui postquam multos annos in regione Hermetopolitana publicis ac maximis latrocinij exegisset, commotus tandem diuinitus statuit mutare vitam ac Religioſum ſtatutum amplecti, atque ita relictis socijs, venit ad celebre quoddam illius loci Monasterium, habitum petens, quem, cum post multas difficultates & repulſas, tandem obtinuisset, ita ex animo se religioſe obſeruantia ac penitentia dedit, vt